nouat omnes. ut uenirent serui et ancille eius ad aducendos lapides et calcem. et quae
necessaria erant. et ut conduceret optimos magistros qui nouerunt bona opera
[illegible]eto facere et sic tantum opus patrare celeriter. Et ut etiam hec tanta opera fieri ualerent
omnes prepositi portorum et procuratores curiarum utiliter et fortiter et absque dolo ibi aduenirent.
dando omnia que necessaria sunt sine dilatione aliqua. Et precepit pompeio
tilio ut filium suum uice sua super portum poneret. ipse autem instaret fabrice illius.
ut citissime compleretur. Et precepit ut mitteret Rome pro columnis. pro ecclesia sancti
baptiste iohannis. quia desiderabat ut monasterium monachorum esset ipse locus et
seruorum dei habitatio. Et designauit coram pompeio tilio ubi iuberet construi
dormitorium. refectorium. coquinam. cellarium. et reliquas officinas omnes. Sed ante
autem omnia precepit domum suam. quia non habebat ubi habitaret. Et in domum ipsam
cepta primum omnis fabricatio. In ipsa autem hora prestitit ei messalinus ad habitan-
dum interdum unam de domibus suis ubi libere ~~sibi~~ posset ~~ibi~~ solus secrete et le-
gere et orare. Cibos autem inferebant ei et seruiebant ei serui illius.
et omnes amici patris eius. Ipse autem messalinus habitauit cum familia sua sequest-
ratus in alia domo. Et posuit pompeius tilius ex precepto domini sui beati placidi fi-
lium suum uice sua super portum mesane ciuitatis. nomine pirus. intellexit iuuenem
ualde prudentissimum et bonum. Post hec autem. cepit reuertere ad domum
messalini quam commodauerat. Et dum rediret obuium habuit quendam cecum
nomine filumnum qui plorando lumen amiserat oculorum. et per decem et octo annos ni-
chil penitus uidebat; et hic erat romanus. Nam illo tempore omnes prope incole
sicilie insule romani erant. Et puer qui regebat gressus ceci. dixit ad eum;
Ecce ille sanctus dei de italia de quo audiuimus uenit obuiam nobis discipulus sancti benedicti;
Et exclamans cecus uoce magna dixit ad eum. Benedicte sancte placide beatissime serue dei
sanctissimi. adiuro te per crucem domini nostri ihesu christi. et per sanguinem illius preciosissimum.
quem ea pro nobis fudit ut digneris pro me intercedere ad dominum ut reddat in quod plo-
rando amisi lumen oculorum meorum. quoniam ecce per x et viii annos nichil omnino uideo; Et
cepit messalinus et seruientes eius et alii quam plurimi boni homines qui una simul
cum eo reuertebantur ad ciuitatem suppliciter rogare eum ut deprecaretur dominum pro ceco illo.
ut faceret super eum misericordiam. Et sciens parumper gradum, iussit eum propinquius adduci ad
se. Et cum uenisset posuit manum super capud eius. et orauit secrete intra se aliquan-
tisper. Deinde fecit signum crucis super oculos eius et tangens manu sua eos dixit;

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.5, 11v – Vita Placidi et sociorum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-0jh8/5197/49626)